



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola CXVII. Gregorii Papae I. Ad Desiderivm Episcopvm Galliae. De pallio ipsius praedecessoribus concesso nihil in ecclesiae Romanae scriniis reperiri: mittat proinde, si quid in ecclesiae suae ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

scripta his præuidimus scriptis adiungi. Quibus lectione percursis hortamur, vt omnia sacerdotali, sicut decet, studio inuiolata conferues, nihilque illi de indebitis, nihil permittas de illicitis irrogari, nec ea quadam patiaris vsurpatione conuelli. Nam licet ea, quæ semel apostolicæ sedis auctoritate sancita sunt, nil egeant firmitatis, ex abundantia tamen nostra, cuncta quæ pro huius rei quiete a prædecessore nostro statuta sunt, nostra iterum auctoritate in omnibus roboramus. Fraternalitas ergo vestra ita se in custodiendis eis exhibeat, quatenus & omnem occasionem inquietudinis excludat, & aliis hæc operari suadeat, dum se in custodienda defuncti piissima voluntate sollicitam, vt decet, exhibuerit & deuotam.

EPISTOLA CXVII.

GREGORII PAPÆ I.

AD DESIDERIVM EPISCOPVM GALLIÆ.

De pallio ipsius prædecessoribus concessio nihil in ecclesiæ Romanæ scriniis reperiri: mittat proinde, si quid in ecclesiæ suæ chartis inuenerit.

Gregorius Desiderio episcopo Galliarum.

FRATERNITATIS vestræ desiderium Ioannis regionali relatione cognouimus; quod quidem libenter parati sumus implere, si diligenter fuerimus de his quæ retulit informati. Inquit autem a vestra sibi relatum dilectione, quod ecclesiæ vestræ quædam olim priuilegia ab apostolica sede concessa sunt, atque vsu pallii eitis sacerdotes antiquitus habuisse. Quod quia vobis magnopere poscitis reformari, in ecclesiæ nostræ scrinio requiri fecimus, & inueniri nihil potuit. Sed quoniam quanto studiosius ista cupitis adipisci, tanto vos arbitramur esse sollicitos, in requirendis chartis ecclesiæ vestræ vigilantius curam impendite; & si qua exinde scripta inueniri potuerint, quæ nos valeant informare, huc curæ vestræ sit transmittere. Nam qui noua concedimus, vetera libentissime reparamus.